

/ Sicut ferrum a magnete trahitur et occulta vi allicitur,  
 sic nos a tua virtute, Bellarmine Venerabilissime: qui postquam lu-  
 cubrationes tuas in psalmos, pro incredibili tuo ac plane divino  
 in Ecclesiae Dei bonum ardore atque studio susceptas, felici iam  
 5 fine confectas esse, certo famae relatum didicimus, rem certe prae-  
 claram et facturi et adepturi videbamur, si egregia ista de Deo et  
 proximo bene merendi occasione per tuam nobis concessa benignita-  
 tem, typis illae potissimum nostris publicatae prodirent in lucem.  
 Noti sunt nostri labores, nota studia orbi litterario: et industr-  
 10 riam praecipue nostram fidemque multis comprobata laborum testi-  
 moniis in dies experitur Societas Iesu, qua Belgica nostra floret,  
 vel una sollertiae nostrae testis in primis lacubiles: quippe qui-  
 bus id unum curae, ut accuratissimis eruditissimisque typographia  
 nostra correctoribus, cum non exiguis sane sumptibus in hoc munus  
 15 collatis, exornata, quibuscumque libris summa cura excusis splen-  
 dorem, auctori gloriam, nobis honorem, reipublicae litterariae  
 fructum afferat minime poenitendum. Sed cum in hoc genere non opus  
 apud te verborum nobis suspensa sit hedera, speramus, tua pietate  
 freti, thesaurum hunc nostra potissimum opera bono publico communi-  
 20 candum. Ad quam rem nos nostraque studia et officia liberaliter  
 offerimus; eamque in ipso labore diligentiam, curam et vigilantiam  
 impendimus, nunquam ut sit futurum ut tuae te bonitatis in nos poe-  
 niteat: cum inter prima et calida desideria nostra sit, ut hoc, ubi  
 impetraverimus, reddamus effectum quam diligentissime. Ita te, il-  
 25 lustr<sup>me</sup> et Reverendis<sup>me</sup> Cardinalis, Ecclesiae suae fulcrum Deus  
 conservet aeternum.

Antverpiae, 5<sup>to</sup> Febr. 1611.Illustris<sup>ae</sup> et Reverend<sup>mae</sup> Tuae Amplitudinis

Servus

Archiv. Vatic. Mss. Gesuit. 18 fol.

24. Origin. autogr.

Joachimus Trognoesius

Societatis Iesu typographus.

---

 Illustrissimo et Reverendissimo Domino, D. Roberto Bellarmino etc